

THESIS VIII.

Incapacitas domini solemnii paupertatis voto adnexa provenit ex jure ecclesiastico.

59. Nota. I. Certum est: 1.º Religiosos in communi seu communitates religiosas posse habere dominium eorum mobilium et immobilium, ut constat ex Tridentino (1): «Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis, tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium, exceptis domibus FF. S. Francisci, Capuccinorum et eorum, qui minores de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.» Ita communis DD. sententia contra Navarrum, qui voluit dominium esse apud Ctum. Dominum. 2.º Religiosos professos particulares esse incapaces omnis domini vel juris proprietatis cujuscumque etiam imperfecti, ut constat ex Tridentino (2): «Nemini igitur Regularium tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere;» quae ultima verba licet ut sonant videantur tantum probare Religiosos particulares non posse licite habere dominium seu proprietatem, communiter tamen ab auctoribus explicantur in hunc sensum, ut negent Religiosis licentiam habendi dominium ob eorum incapacitatem, quae supponitur.

II. Quaestio est ex quo jure proveniat haec incapacitas. Thesis, quae hanc quaestionem solvit est nostrorum et aliorum, contra eos qui ut Thomistae, docent Religiosum professum ex natura rei fieri inhabilem ad matrimonium et ad dominium.

60. Prob. Haec incapacitas proveniret vel ex voto, vel ex statu religioso vel ex traditione, vel ex solemnitate, vel ex jure Ecclesiastico. Sed ex nullo ex his capitibus, dempto jure ecclesiastico provenit. Ergo...

Non ex voto. a) Quia etiam votum simplex paupertatis est votum paupertatis et stat cum dominio, ut patet ex Bullis Gregorii XIII *Quanto fructuosius; Ascendente Domino*, Societati nostrae datis ad eam defendendam contra nonnullos negantes verum statum Religiosum scholasticorum et coadjutorum nostrorum. Sed status Religiosus non est sine voto paupertatis. Ergo... b) Quia voluntas privata ligare quidem potest dominium, illud cedere, at incapacem domini acquirendi se reddere, hoc non nisi per legem

(1) De Regul. et monialib. sess. 25, c. 3.—(2) Ibid. c. 2.

fieri potest. Ergo... *Antec.* prob. Quia capacitas ad dominium est potestas naturalis et moralis ad illum habendum. Sed haec potestas non potest annullari per ullum propositum seu hominis actum, qui reddat voluntatem inefficacem ad contrahendum vel acceptandum rei dominium. Ergo... *Min.* prob. Quia voluntas hominis et particularis semper est efficax ad mutandum praecedens propositum, quamvis forte in mutatione peccet. Ergo... *Confir.* Habens votum simplex castitatis peccat contrahendo matrimonium; valide tamen illud contrahit. Ergo a pari.

Non ex statu religioso. Ut in argum. a) *Non ex voto.*

Non ex traditione. a) Quia haec traditio ad summum requirit ut religiosus suam personam omnino tradat Religioni et obsequio ejus: ut patet in Franciscanis, quorum Religio nullum dominium accipere potest: et b) probat ratio; nam cum illa donatione ex sola rei natura non est conjuncta renuntiatio domini, nec obligatio non habendi bona temporalia nisi propter votum paupertatis.

Non ex voti solemnitate. Quia haec ex Bonifacio VIII, c. de Voto, in 6: «Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa.» Et confirmat Gregorius XIII Bulla *Ascendente Domino*, qui ad defendendos nostros scholasticos et coadjutores contra alios dicentes non esse religiosos, quia vota non habent solemnia, dicit: «Voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse,» ubi certe debet esse sermo de solemnitate essentiali, alias ratio Pontificis nulla esset cum eos impugnet, qui ob defectum solemnitatis negabant scholasticos Societatis esse religiosos. *Confir.* 1.º Incapacitas domini datur sine solemnitate voti, ut patet in nostris coadjutoribus formatis seu Societati jam incorporatis. Ergo saltem non ex sola solemnitate procedere potest. *Confir.* 2.º Ut ostendit Suarius (L. 8, c. 7, de statu. Relig.) olim fuere professos domini capaces: constat praeterea Summos Pontifices aliquando dispensasse et permisisse religiosis solemniter professis retentionem domini rerum temporalium valide et licite, ut S. Francisco a Borgia per quadriennium post emissam solemnem professionem concessit Paulus III, idem patet ex aliquibus responsionibus S. Poenitentariae, quas vide apud Gury-Ballerini (1) v. g. pro monialibus Galliae: «ut non obstante solemnii paupertatis voto... bona ac redditus, quos hactenus acquisivere retinere possint...» Ergo solemnitas professionis sine legis ecclesiasticae adminiculo non est sufficiens ad domini incapacitatem causandam.

61. Obj. 1.º Innocentius III (2) dicit, se non posse abdicationem proprietatis in religiosis dispensare. Sed si esset ex jure ec-

(1) De stat. Relig. Vol. II, n. 153, not. a.—(2) C. cum ad monasterium. De stat. monachal.

clesiastico posset dispensare. Ergo... Confir. auctoritate D. Thomae, qui (1) aperte dicit, Pontificem in hoc voto dispensare non posse. Ergo...

Resp. Dist.: Ait se non posse eo sensu, quo votum paupertatis evanescat in religioso, et simul sit religiosus; conc. Aliter; neg. Ratio est, quia votum paupertatis est essentialis religioni, sed non voto paupertatis est essentialis abdicatio dominii, sed sufficit dependentia in usu dominii a Superiore, ut patet in scholasticis S. J. Unde pontifex potest dispensare tum in abdicatione dominii, tum in ipso voto paupertatis ex gravissimis causis solvendo statum Religiosum. Ad confirmationem respondeo, vel cum reverentia relinquendum tantum Doctorem post Sanctae Sedis declarationes; vel distinguendum sensum verborum ejus sicut sensum verborum Innocentii; vel dicendum S. Thomam ita loqui juxta congruentiam et convenientiam ordinariam hujus voti, in quo Pontifices nefas ducunt dispensare: non autem absolute et pro omni casu; alibi enim ait (2): «Ideo aliqui dicunt probabilius »si communis utilitas totius Ecclesiae aut unius regni, vel provinciae exposcerent, posset convenienter et in voto continentiae et »in voto Religionis dispensari, quantumcumque esset solemnizatum.» In nostro sensu D. Thomam interpretantur Paludanus et Cajetanus.

Obj. 2.^o Religiosi professi se Deo et religioni perfecte tradiderunt. Sed in perfecta traditione jam includitur inhabilitas ad dominium. Ergo ex traditione sola. etc. Confir. a) Homo per traditionem religiosam fit quasi mancipium. Sed mancipium ex se est dominii incapax. Ergo. b) Servus hoc ipso, quod in alterius dominium transit, omnia ejus bona et jura fiunt domini et redditur incapax ad possidendum licet matrimonium contrahere possit. Ergo pariter religiosus fiet inhabilis per professionem ad dominium, licet non ad matrimonium. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Perfecte se tradiderunt ad Dei famulatum et obsequium religionis, ut postulat natura status; conc. Perfecte tradiderunt cum omnibus suis bonis et juribus; subdist. Ex sola professionis traditione; neg. Admiculo juris positivi; conc. Nam ad complendum statum religiosum praeter traditionem adjungitur paupertas, quae non est ex natura rei determinata, ut demonstrat summa varietas quae circa ipsam est in diversis Religionibus.

Ad confir. a) 1.^o Dist. *Maj.* Fit mancipium late; conc. Stricte; neg. Non enim est eadem donatio servi ad dominum et religiosi ad Religionem. 2.^o Resp. Tr. *maj.* neg. *min.* Quia tota illa incapacitas provenit non ex natura rei, sed ex jure humano et civili vel saltem

(1) 2, 2, Q. 88, a. 11.—(2) 1, D. 38, q. 1, ar. 4, q. 1 ad 3.

gentium quod ita introduxit servitatem, sicut poterat aliter v. g. statuendo, ut aliqua possent servi acquirere.

Similiter resp. ad b) Et neg. *antec.* quoad primam partem et secundam.

Obj. 3.^o Religiosi, ut dicitur in juribus, maxime professi sunt mundo mortui. Sed mortui sunt incapaces dominii. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Sunt mortui metaphorice propter affectum contrarium mundo, quem debet habere Religiosus; conc. Realiter propter effectus professionis; subdist. Ex se; neg. Institutione Ecclesiae conc.

Obj. 4.^o Religiosi solemniter professi sunt Deo consecrati. Sed res semel Deo consecratae, nec a Summo Pontifice possunt reddi non consecratae, ut educitur ex Levitico cap. ultimo, et rebus aliis consecratis ut calice, ecclesia, etc., consecratis. Ergo... Confir. a) Ratione, quia consecratio fundatur in actione, quae praeteriit, ac proinde est indelebilis sicut est indestructibile ipsum fuisse actionis consecrativae. b) Exemplo, non potest Pontifex facere ut aliquis sacerdos non sit amplius sacerdos: ergo a pari, etc.

Resp. Dist. *Maj.* Sunt Deo consecrati dependenter a lege Ecclesiae; conc. Independenter; neg. *Min.* contradist. Ad exempla ex Levitico et rerum consecratarum similiter respondeo: sunt res perpetuo consecratae; ex natura sua; neg. Ex jure positivo; conc. Quid enim vetat aliquam consecrationem ita institui ut solum duret per aliquod tempus?

Ad confir. ad a) Dist. Fundatur in actione praeterita, cujus effectus perpetuus vel temporaneus pendet a voluntate instituentis; conc. Independentis; neg.

Ad b) Neg. paritatem, quia sacerdos consecratur caractere indelebili divinitus impresso; in statu vero religioso nihil hujusmodi datur.

THESIS IX.

Homo quoad sibi intrinseca dominium habet: a) In suam libertatem, actiones liberas et habitus; b) non autem in vitam propriam et membra. Quoad sibi extrinseca habere potest: c) in famam et honorem; d) in omnem rem sublunarem humanis usibus accommodatam; e) etiam in alium hominem.

62. Nota. I. Initio hujus articuli (n. 49) agentes in genere de subjecto dominii liceitatem, justitiam et necessitatem privatorum dominiorum, ipsa naturâ bonorum divisionem dictante ex litteris encyclicis providentissimi et sapientissimi Leonis XIII *De conditione operum* breviter contra socialistas vindicavimus; in hac

thesi speciatim de rebus, quae sub dominio humano cadunt, disse-remus.

II. Tria sunt bonorum genera, quae homo possidere valet, bona vitae, bona famae et honoris, bona fortunae. Prima sunt homini intrinseca, illis enim ipse homo constituitur et perficitur, uti sunt corpus, anima, potentiae, membra, virtutes, etc. Alia famae et honoris re et formaliter sunt extrinseca; etenim fama est bona aliorum de aliquo existimatio, honor testificatio externa hujus existimationis cum quadam reverentia; fundamentaliter vero et radicaliter sunt intrinseca, nam mensuram desumunt ex perfectionibus sive naturalibus, sive supernaturalibus, v. g. ex industria, ex sanctitate, homini intrinsecis. Ultima denique fortunae sunt pure extrinseca v. g. vestes, domus, agri, etc.

63. I.^a Pars. a) In suam libertatem, actiones liberas et habitus acquisitos, prob. *quoad libertatem*. 1.^o Homo potest se in servum tradere libere; ut patet ex Deuter (1). *Sin autem dixerit (servus)... Nolo egredi... serviet tibi usque in aeternum*. Ex Institut. quae sub quibusdam conditionibus idem approbant (2). Ergo potest homo de sua libertate disponere.

2.^o Exemplo S. Paulini, qui ut filium viduae redimeret, se vendi in servum voluit, et praecipue ex Ecclesia approbante ordines religiosos, ut B. Mariae V. de Mercede, quorum alumni voto se obstringebant manendi in pignus sub tyrannorum potestate, si ad obtinendam christianorum captivorum libertatem opus fuerit.

Quoad alia in titulo enumerata patet; cum nihil impediatur hominem de liberis suis actionibus disponere, habitusque acquisitos vel frequentatione actuum liberorum habituum priorum, vel e contra repetitione actuum oppositorum possit vel augere, vel minuere et ad destructionem etiam pervenire.

64. II.^a Pars. b) Non in propriam vitam et membra. Est contra aliquos ex donatistis, qui dicebantur circumcelliones, seque passim interimebant, rati sic se martyres esse ut refert Augustinus (3) et prob. 1.^o Ex Sapientia (4) *Tu es enim Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*. Deuter. (5) *Videte quod ego sim solus... ego occidam et ego vivere faciam*, ex quibus tam decretorie assertis inferitur ab interpretibus communiter hominem non posse seipsum occidere, adeoque non habere dominium in propriam vitam.

2.^o S. Augustinus (6) «Restat ut de homine intelligamus, quod dictum est: noc occides: non alterum: ergo nec te: neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit.» Idem S. Au-

(1) XV, 16, 17.—(2) L. I. Tit. III. de *jure gent.* § 4.—(3) De *Haeres.* haeres. 69.—(4) XVI, 13.—(5) XXXII, 39.—(6) L. I, de *Civ. Dei*, c. 20.

gustinus (1) in illa verba: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit* ait: «Sed vide ne tibi subrepat, ut teipsum velis interimere... Hinc enim quidam maligni atque perversi homines et in seipsum crudeliores et sceleratiores homicidae flammis se donant, aquis se praefocant, praecipicio se collidunt et pereunt. Hoc Christus non docuit.» Ibid. in verba dicta Petro: *cum autem senueris alter te cinget et feret quo tu non vis*, addit: «satis expressit (Christus) non a seipso, sed ab alio debere occidi qui vestigia sequitur Christi.»

3.^o Ratione. Vita est fundamentum quod praesupponitur ad omne dominium hominis. Sed quod fundat et praesupponitur ad omne dominium non potest cadere sub dominio. Ergo... *Maj.* prob. Ad omne dominium hominis supponitur esse hominis. Sed esse hominis est per vitam. Ergo.

Confirm. Si homo dominium haberet propriae vitae, illud a Deo accepisset vel per legem positivam, vel ipsa lege naturae. Sed non potest dici primum. ut patet ex ratione sacrae Scripturae, nec secundum, nam: a) Si lex naturae tale concederet, esset quia ut necessarium apprehenderetur ad finem hominis consequendum; sed numquam tale dominium est necessarium homini ut finem suum consequatur. Ergo... b) Ideo lex naturae approbat et dictat plenum dominium in res sublunares alias, quia hae ad hoc sunt conditae ut homini inserviant ad finem suum obtinendum. Sed homo non est naturae sua, nec est conditus, ut ordinatus ad se, sed ad Deum ut ei serviat. Ergo ipso jure naturae dominium absolutum hominis solius est Dei.

Idem proportionaliter dicendum est de membris quae a Deo accepit ad vitam tuendam conservandamque, quare contra voluntatem Dei et eorum naturam esset ea destruere.

65. III.^a Pars. c) In famam et honorem: Prob. 1.^o Homo famam et honorem acquirit suis meritis et actionibus ut alia bona: Ergo est eorum dominus.

2.^o Confir. Potest homo licite se infamare, revelando occultum suum crimen verum ad petendum consilium, vel etiam ad evitandam miserrimam sortem vel ad humilitatem ut S. Augustinus et alii SS. fecerunt: imo aliquando debet se infamare, ut restituat alteri ablatam famam: item potest homo alteri condonare restitutionem famae laesae: haec vero non posset nisi esset dominus famae. Ergo.

3.^o Auctoritate D. Thomae (2) «Sui arbitrii est, detrimentum suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.» Hoc

(1) Trac. 51 in Joann.—(2) 2, 2, Q. 73, a. 4.
THEOL.—Tom. IV.—P. II.

ultimum optime additur, saepe enim infamia unius conjuncta est cum infamia aliorum v. g. familiae, religionis, complicum, etc., et tunc non est licitum se ita infamare, ut redundet infamia in alios: eoque casu dominium hoc est ligatum. Saepe etiam fama nostra est necessaria proximis, quos non possumus juvare, si infames sumus. Tandem neque licet absque justa causa famam prodigere, sicut nec pecunias, hinc quivis monetur in Ecclesiastico (1): *Curam habe de bono nomine.*

66. IV.^a Pars. d) In omnem rem sublunarem usibus humanis accommodatam. Prob. 1.^o Ex Genes. (2) ubi dicitur Deum creasse hominem ut: *praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae.* In Psalmis (3) *Omnia subjectisti sub pedibus ejus, oves et boves universas insuper et pecora campi.*

2.^o Ratione prob. quia de his omnibus potest homo perfecte disponere in proprium commodum.

Additur: *usibus humanis accommodatam*, ad excludendum cum Maldonato et Lessio contra Dominicum Sotum et Molinam dominium in solem et astra; nam ut ait Lessius; caelestia corpora etsi condita sint ad hominis ministerium, tamen homo non proprie dicitur illorum dominus, quia nihil circa ea potest disponere vel mutare: commoditatum tamen quae ab illis percipiuntur dominus dici potest sed hae jam sunt inter res sublunares.

67. V.^a Pars. e) Etiam in alium hominem. Prob. 1.^o Ex Scriptura approbante jus domini in servum (4): *Si emeris servum hebraeum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis.* Vide etiam Levit. c. XXV, Deuter. XX. Etiam ex N. T. Paulus I. Corinth. VII; I. ad Timoth. VI; et ad Ephesios VI, 5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* Ergo...

2.^o Ex jure canonico in quo admittitur servitus, et leges circa eam dantur. v. g. D. LIV Decreti Gratiani; similiter ex jure civili romano v. g. Institut. lib. I, titulo III, de *jure personar.* ubi dicitur «Summa itaque divisio de jure personarum haec est: quod omnes homines aut liberi sunt aut servi.»

3.^o a) Jure naturae possunt parentes vendere suas proles propter gravem necessitatem et victus causa. Ergo... *Antec.* prob. Exod. XXI, 7; ex ratione, quia proles est veluti pars et fructus parentis, trahens ab ipso esse et vitam; unde parens jus habet ex

(1) XLI, 15.—(2) L. I, tit. III, de *jure gent.* § 4.—(3) I, 26.—(4) Exod. XXI, 2.

illa percipiendi ea emolumenta, quae ipsa de se, si sui juris esset, percipere posset. Sed si ipsa esset sui juris posset se vendere (n. 63). Ergo... b) Judex licite reum morte damnat; et victores nonnunquam juste in poenam occidere possunt victos: Ergo multo magis possent reum et victos in servitutem redigere et tradere.

68. *Corollaria.* I. Ergo homo non potest auctoritate propria se ipsum occidere.

Nam destructio rei est actus proprius domini, qui prout voluerit de re sua disponere valet: ergo cum homo non sit dominus suae vitae, sed solum administrator, non poterit eam destruere, sed tenebitur eam rite administrare et conservare.

II. Nec potest se ipsum mutilare sive membrum aliquod abscindere (1).

Probatur eadem ratione, quia non est dominus membrorum suorum; attamen, quia primario et principaliter est homo custos suae vitae, licet aliquando membrum abscindere, si abscissio ad vitam conservandam necessaria est: partes enim ordinantur ad totum, cujus bono illae posthabendae sunt.

69. Obj. 1.^o Plures narrantur in sacra Scriptura casus piorum virorum, qui v. g. ut Samson (2), Eleazarus (3) se occiderunt. S. Apollonia in lege gratiae se in praeparatum a tortoribus ignem conjecit. S. Hieronymus (4) ait: «Non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur.» Ergo saltem non semper est illicitum se occidere.

Resp. In Scriptura narrantur illi casus ut piorum virorum vel quia se occiderunt ex instinctu Dei, ut ita existimatur de Samsone et Apollonia; vel quia ex ignorantia invincibili operati sunt; vel quia ex justo motivo se exposuerunt mortis periculo, ut potest de Eleazaro intelligi; conc. Tamquam si ex propria auctoritate potuissent se occidere; neg. Deus enim ut Dominus vitae et mortis potest destruere hominis vitam quomodocumque et per quemcumque velit: item ignorantia invincibilis facilis in acerbissimis et durissimis circumstantiis, praesertim in feminis, potest eis reddere materialiter licitum honestumque, quod formaliter est malum; et tandem se exponere periculo mortis ex causa proportionata non est prohibitum, ut constabit ex sequenti objectione. S. Hieronymus non uno sensu exponunt auctores, alii eum reverenter deserunt; alii volunt, eum illa dixisse, ne videretur feminas a seipsis castitatis causâ interemptas condemnare, cum forte id fecissent ex instinctu Dei, vel ex invincibili ignorantia; alii denique ajunt

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 65, a. 1.—(2) Judic XVI.—(3) I Machab. IV, 1.—(4) c. *Non est nostrum*, 23, q. 5.

verba «absque eo» esse ambigui sensus et distinguunt: absque eo exceptive; neg. Absque eo i. e. etiam seu inclusive; conc.

Inst. Si ex voluntate Dei licet suicidium, licitum quoque erit reo ex mandato iudicis se occidere; nam iudex etiam potest disponere de vita rei. Sed *consequens* communiter reputatur falsum. Ergo...

Resp. Neg. *maj.* Iudex non est ut Deus dominus absolutus vitae et mortis, solum ratione suae jurisdictionis tantum habet in vitam rei potestatem quantam vindictae publicae necessitas exigit et postulat; haec vero numquam se extendit ad hoc ut reus se ipsum occidat (1).¹

Obj. 2.^o Aliqui SS. Martyres ut S. Eulalia, Justus et Pastor, etc., ultro coram tyrannis steterunt scientes se ab eis morte damnandos; laudantur qui principis vitam propriae vitae jacturâ ab injusto aggressore liberant, sese telis aggressoris objicientes; qui navem destruunt et demerguntur, ne veniant in hostium potestatem, etc. Sed in his casibus et similibus licite se homines occidunt sine instinctu Dei. Ergo homo dominium habet suae vitae.

Resp. Dist. *min.* Licite se homines occidunt, directe; neg. Indirecte, subdist. Si est justa causa; conc. Si haec abest; neg. Directe se ipsum occidere est positive sibi vitam auferre, vel aliquam actionem sive agere, sive omittere ex intentione seipsum occidendi; indirecte se ipsum occidere est aliquam actionem sive agere, sive omittere ex qua mors, licet praevisa, praeter intentionem agentis aut omissis sequatur. Primum ut praecepto negativo *non occides* oppositum, semper et pro semper est prohibitum; alterum ut tantum oppositum praecepto affirmativo conservandi vitam non semper obligat et suas patitur exceptiones, cum homo non sit adstrictus ad hoc ut omni modo possibili suam vitam conservet. Potest enim accidere ut ex aliqua actione vel omissione duplex sequatur effectus, unus bonus v. g. in casibus *majoris*, professio fidei, defensio principis, majus damnum hostium, minus proprium, etc., alter malus i. e. mors; jam vero quando hoc accidit, si cum causa proportionata est jus ad bonum effectum, malus permitti potest dummodo non intendatur et solum bonus effectus agendo vel omitendo quaeratur (2).

Obj. 3.^o Potest homo mori ne abscindatur ei brachium: ergo est dominus vitae.

Resp. Dist. Potest homo mori, si in abscisione deberet sustinere cruciatum ingentem; conc. Si tantum levem; neg. Aliud est posi-

(1) Ita communis sententia contra aliquos concedentes *majorem*, negantes *minorem*, maxime in casu quo reus condemnaretur ad venenum sumendum. —

(2) V. Disq. III. Thes. IV, c) Consul. L u g o. D. 10, sec. 1.

tive se occidere, aliud mortem permittere, vel non impedire mediis difficillimis: illud est prohibitum non autem istud.

Obj. 4.^o Licet vitam sibi poenitentiis abbreviare. Sed abbreviare sibi vitam supponit dominium in eam. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Licet abbreviare, mortem intendendo; neg. Indirecte ut quid consequens bonum virtutis exercitium; subdist. Moderate; conc. Immoderate et indiscretis poenitentiis; neg. Si enim ob lucrum mere temporale homines, se in pericula maris et terrae conjiciunt, cur non licebit aliquam brevis hujus vitae jacturam pati, ut securius possint homines ad portum aeternae vitae appellere? Haec intellige ordinarie, nam extra communem ordinem Deus aliquando Sanctis inspiravit extraordinarias poenitentias, ad quas peragendas et sustinendas ipse qui inspiravit vires dedit.

Obj. 5.^o Aequalis aestimationis sunt fama et vita. Sed in vitam non datur dominium. Ergo... Confr. Ex eo quod homo possit condonare compensationem pro membro absciso, non sequitur quod sit dominus membrorum. Ergo etiam ex eo quod possit condonare restitutionem famae non sequitur quod sit ejus dominus.

Resp. Dist. *maj.* Sunt parae aestimationis quoad aliqua; conc. quoad omnia; neg. Potest aliquando accidere famam in aestimatione morali non minus aestimari quam vitam; interim ex hoc non sequitur quod sicut una, ita et altera, sit exempta dominio hominis quia ut constat ex probationibus, sunt rationes diversae pro vita, quae non pugnant pro fama.—Ad confr. neg. suppositum; compensatio in eo casu non fit pro membro, sed fit pro usu membri cujus homo dominus est.

Obj. 6.^o Si objecta domini possent dividi, ut probavimus initio hujus articuli (n. 49), inter particulares dominos daretur meum et tuum. Atqui teste Clemente Papa (1): «Per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud; et sic inter mortales facta est divisio.» Ergo dominium privatum in res a nobis Parte IV theseos enumeratas non est justum et honestum.

Resp. Explico sensum *minoris*, per iniquitatem in privata rerum possessione; neg. Per iniquitatem naturae peccato originis corruptae; conc. Nihil enim significant verba Summi Pontificis nisi peccatum originis fecisse necessariam rerum divisionem inter plures dominos.

Obj. 7.^o Si ex iniquitate naturae procedunt dominia privata in res sublunares, ut theologi docent, dominia illa non erunt ex jure naturae. Sed hoc est falsum post dicta supra (n. 49) de naturali rerum divisione. Ergo...

(1) C. *Dilectissimus* caus. 12, q. 1.